1182

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS II. DECEMBRIS.

M. PETRO YVELIN, Regi ab interioribus conſiliis, Doctore & Primario Sereniſſimæ Aurelianenſium Duciſſæ Medico, Moderatore.

Sunt-ne minùs certa virginitatis quàm conceptûs ſigna?

FEMINAM præclaris Naturæ dotibus exornatam atque inſignitam, ineffabili conſilio prudentiâque inæſtimabili ſolers hæc atque ingenioſa parens, οὐ μόνον ἕνεκα τῆς ὠφελείας ἀλλὰ καὶ λειτουργίας τῇ φύσει, viro addixit adjunxitque, tùm ipſis inſevit vim amoris ac procreandæ ſobolis aviditatem, additis illecebris mutuíque complexus appetitione, ut cùm ſe inirent ſuaviter inter ſe affici miriſque modis deliniri contingeret, quò per propagationem poſteritati conſuleretur, ſpecieſque duplici, maris ſcilicet & feminæ, ſexu diſtincta, in perpetuum felici æquè ac gratâ individuorum ſubſtitutione conſervaretur. Vtrique hunc in finem ſtupendo apparatu fictas atque elaboratas partes beneficentiſſimè elargita eſt, quæ licèt κατ' λόγον καὶ τῇ αἰσθήσει longè diſſideant, incredibili tamen concordiâ in illud pene divinum opus alacriter conſpirant. In quo ſanè illius ſagacitatem ſubit mirari, cùm enim ad prolis eductionem duo requirerentur principia, alterum quo ſpermaticæ partes coaleſcerent, alterum quo carnoſæ coagmentarentur, marem fervidiori donavit temperie, fœcundioris & uberioris ſeminis, à toto decidui, ſupremo opifice, feminæ verò deferventem impertita eſt, quæ menſtruum ſanguinem, etiam aliquâ agendi virtute pollentem, copioſiùs ſineret aggregari unà cum ſemine, quod licèt virili longè ſit imperfectius, non eſt tamen quod illud ἱδρῶτα τοῦ μορίου μᾶλλον εἶναι ἢ γονήν pertinaciter aſſeveres; quaſi verò uterum, partibus principibus jurè accenſendum, tanquam conductitium offerrent feminæ, cui velut navi onerariæ ſuas merces inferrent viri, ſuamque ſentinam deponerent. In plenâ autem jucundæ voluptatis conjunctione, ſtatim concurſu facto commixtum & confuſum utrumque ſemen, non ſemper in uteri capacitate, ſed & interdùm in ejus apophyſibus retinetur, eò loci in actum ità jubente Naturâ mox erupturum: ut mas animal ſit in alio, femina in ſeipſo generans. Hâc arte eâque induſtriâ abſoluta credas tria ad generationem requiſita, ſexuum diſtinctionem, utriuſque concurſum, & ſeminum, quæ decet ὁμορροθεῖν, debitam effuſionem. Concurſum illum ſeu laſcivientis Naturæ delicias ingens quædam voluptas conſequitur, potentior tamen in ſeminis, virilis præſertim, excretione, quod quia plurimo calore circumfluit, ideò marem in ipſo congreſſu jucundiùs afficit, licèt qui utrumque ſexum fingitur expertus, longè majorem, dum feminam alternis ageret, acrioremque ſub veneris vexillis catullitionem dicatur perſenſiſſe; & ſanè cùm ſua quemque voluptas trahat, in tam excellenti vix adhibetur modus, quî ſit ut feminæ multæ, virgines admodum paucæ, præſertim cùm inter tot & tantas illecebras voluptatum, etiam ferreas mentes libido edomet, quæ urgentiorem in virginibus patitur famem, dùm dulcius putat omne quod neſcit.

ENIMVERO infinitis propè amorum illectamentis irritamentiſque ſequiori ſexui ità ſolerter Natura adblandita eſt, nulla ut ferè ſit mulier quæ poſthabitis crudelibus nonimeſtris geſtationis laboribus, matríque adeò ſæpe funeſtis partûs doloribus, in ſuaviſſimum viri congreſſum efflictìm non deperеat: undè facile colligere ſit illam meritò prædicari debere virginem, eamque abſconditam, quam nullus aut quæ nullum rogaverit. Sed heu quantùm illud eſt δυσεύρετον! Etenim, formoſa ſit, citò adamatur, at tutum diù non eſt in quod totius populi vota ſuſpirant, illiuſque tantò facilior eſt ruina, quantò vilior conditio, maximè ſi flos ætatis cum formâ nullâ parte non felice ad vitium conſentiat: Quòd ſi fœda, facilè concupiſcit, moleſtumque ipſi eſt poſſidere quod nemo habere dignetur. Intereà virginem tu quæris, nec ceſſas acriter inſequi? Cave nè pro theſauro carbones; neu tibi vel oculatiſſimo, parùm favente Deliâ, in partem veniat utero gerens, aut certè virgo quædam, violato Iove gamelio & genethlio, rejicula, cujus, præter vocabulum nuptiarum, omnia ſint matrimonij; curioſum quemvis etiam quamlibèt forti conjecturâ illam aſſequi conantem fallit luditque Natura, quæ continuâ generatione geſtiens, ne virginitas in probrum verteretur, illius ulla niſi perobſcura ferméque incerta dare indicia dedignata eſt, tantùm abeſt ut per τὰ τεκμήρια ſeu τὰ τῆς τέχνης αὐτοπίστευτα in illius ſignificationem datum ſit deſcendere. Permagni tamen intereſt an σημεῖα, aut τεκμήρια divinando quis uſurpet, hæc quippe unum idemque neceſſariò ac perpetuò ſignificant, manantque ἐξ ἀκολουθίας λογικῆς, illa neque neceſſariò nec ſemper, indè infida, ut potè uni addicta fortunæ, non Naturæ cognata, cujus contemplatione aſſiduus boníque nominis ſequeſter Medicus adornat ſibi in obſcuris recognoſcendis τεκμήριον, quod συλλογιστικὸν σημεῖον (cui fidas) meritò dixeris. Signorum ſcilicèt aliæ atque aliæ partes: παθογνωμονικὰ rerum formam & characterem expreſſiùs repræſentant: συνεδρεύοντα amicarum inimicarumque cauſarum, partiumque vires & diſcrimina aperiunt: inſpem metumque verſa deferunt ἐπιγενόμενα: mores ἐπιφαινόμενα exerunt in apertum: ἀναμνηστικὰ ad Naturæ vindicias tutelamque faciunt: Quò ſe tandem vertat alea προγνωστικὰ portendunt, æqua ſingulis: Et quoniam παθογνωμονικὰ ſeorſim ut plurimùm nulla, omnibus ideò certior magiſtra quæ ἀπὸ συνδρομῆς venit, non quidem empiricorum, quæ ruſticior brutæ τηρήσεως vernula, ſed dogmaticorum, eo titulo fide melior & dignior, quia Naturæ conjunctior, etiam ubi opertanea ejus ſacra curioſus ſubire, veneriſque Anadyomenes, procùl ab odioſâ Ariſtodemi anatome, fidelis explorator, orgia revelare pergis, ſeverus alioqui cenſor virginitatis, de brevi punctulo locupletis uteri λειτουργίαν deprehenſurus.

CVM virginitas qualitas quædam ſit naturalis reſultans ex integritate vaſorum muliebrium quamdiu à maris conjunctione illibata ſervantur, illa ſanè ſola quæ virum neſciit nec admiſit, virginis inſignibus jure meritò gaudere debet, ἀπύρωτος, illa planè, cujus clauſtra puerperij tantùm non revelata, at coràm inſolenti virginitatis erogatore oppeſſulatas virginis fores rigido ariete perfodere tentante, ſignata zonâque cincta permanſerunt, verùm ſi quis ejus myſteriis initiatus, primùm hoſpes, obducta prætenſo hymenis velo adyta penetraverit, agnoſces-ne illicò veſtigia ſi premas? Eccè in anteceſſum, ſtudioſa caducæ æternitatis Natura veneris annonam diù locis comprimi non ſuſtinet, hujus pignori ſuum ipſa fundum propalàm opponit in pubere virgunculâ, locorumque reſolvit iſthmum menſtruo exundantis ſanguinis æſtu, quem per ἀμπώτεως vices reſorbent ſororiantes mammæ, regia veneris, amorumque thalamus: Huic ſimul ac litaverit, in amore duces oculi tum ſubtriſtes transfugæ produnt, carpitur dum carpit oris forma, deſinit videri, ſi mala legeris, ὀρθοτίτθιος, flos defloret, φῶς papillarum obſcuratur, vox deducta pro molli & liquidâ ſit gravior, craſſeſcit cervix. Cnidiæ veneri manum detrahas, arguent protinùs ſubaratam geniali ſulco pubes compreſſo & incompoſito vellere depreſſior, diducti oſcitantiſque oſculi liber & facilis hiatus, diſparatæ lacrymoſæ Nymphæ, tùm demùm occiſam amabili duello virginitatem anteſtabitur effuſa lacero eugio gutta nuptialis; ut neceſſe non ſit habere de pudicitiâ, ſolemni ſacramento, quæſtionem, propinare aquam experimenti, rogum aſcendere, ardens calcare ferrum, aut gagate, rumicis lapathíve floribus, portulacæ ſeminibus, aut perſonatæ foliis ſuffire.

VT conceptionis nunquam futuræ expedita regula eſt menſtruo ſanguini denegatus exitus, ità illius pro votis affuturæ certa ſpes affulget in periodicâ hujus ſecundùm Naturæ decretum irruptione, modò præſtò ſint inſuper & alia tàm ex parte viri quàm feminæ requiſita, quibus proprium illud & peculiare uteri munus, etiam nullâ præviâ voluptate, atque inter menſtrui injurias, ad optatum finem perveniat. Scitum in viro, quò ſemen ejaculatorio quodam feratur impetu, rigidum & diſtentum deſiderari pedem ex utre qui prominet: diſtenditur quatuor muſculorum ope, qui non ſolùm illum firmiſſimè contineant nè in alterutram partem inclinet, ſed & qui imminente coitu diducant dilatentque ductum urinæ & ſemini communem, donec uno conatu, qui ſit ſpaſmo ſimilis, illud in agrum Naturæ effundatur, neque tamen ante ſuum opus adimplebit ille, quàm nervoſa, ſpongioſa, & cava quâ conſtat ſubſtantia ſanguine & ſpiritu flatulento maximè turgeat: tùm illi, eâ conducibili ſupellectile ità inſtructo, peragendis veneris ſacris intereſſe licebit, ſi priùs reſcierit, Deam, quamvis ſæpè ſit in furtis, odiſſe tamen myſtam qui inteſtabilis litet; hinc procùl exulet in longam licèt ſecuramque libidinem exſectus ſpado, neque enim abſque teſtium operâ ſemen apprimè elaborari poſſe quiſquam benè ſanus in animo habuerit. Id rectà in uteri cervicem, per quam tàm vacuæ quàm prægnantes repurgantur, ejaculari poſtulat, tùm & attrahi, dùm ariete crebro non refrixerit libidinis fervor, inſupèr exactè miſceri cum muliebri, tùm demùm utrumque mutuo conſortio gaudens ſuſcitari ab utero qui ſit bonæ frugi, blando hujus tepore foveri, complexu conciliari hoſpitali: Inter hæc, mox addit ſe ſe muneri facultas formatrix genituræ, non animæ fœtantis aut fœtûs. Verùm cùm prima ducuntur ſtamina, membranæ explicantur, finguntur viſcera, vitales nili quoquoverſùm deducuntur, tantæ molis opus ne exiſtimes ſine arbitris nullis-ve internuntiis clandeſtinò geri; luculenta certè proſtant ubique partium indicia, partim φυσικὰ hoc titulo potiora, etſi nec omnibus eadem nec ſingulis, partim τεχνικὰ, ſolertiâ & ingenio conjectoris, in fidem accedentia. Propitiam fuiſſe haud irrito conatu venerem amantes admonent convenas ſtatim à coitu obſignatâ cervice ſurſùm revocati uteri ſinus, horridula commotio, vel etiam horroris expers inæqualitatis ſenſus, cibi faſtidium, inſolens ἀψυχοσία, peregrina appetentia, vomitus aſſiduus, ptyeliſmus creber, tenebricoſa vertigo, dolor capitis, ὀφθαλμοὶ εἰλκυσμένοι καὶ κοιλότεροι, ἔφηλις ἐπὶ τοῦ προσώπου, univerſi corporis, at lumborum præcipuè, gravitas & torpor, lotij ſtillicidium, quid plura? tange venas, conſule matulam, adhibe περιτήνεια torminoſo crudæ mulſæ potu, ignoratum uterum deprehendes.

VERVMTAMEN cùm optimis quibuſque Medicis ſæpè ſæpiùs rerum ſimilitudines parent offucias, dubitandíque cauſas jure nectat adeò breve veri falsíque confinium, vix quidquam certi de virgine aut gravidâ ſtatuere in integro eſt. Quandò ſe fœtam hæc ignorat, illa, ſive ut meretricio more ſub nomine virginali vendibiliùs pereat, ſive ut deſtinatum ſibi ſponſum ingenioſâ turpitudine fallat, fallit & olim creditam nullâ arte reparabilem pudicitiam: adeò malè tuta hymene, ſæpè fabuloſo, virginitas, quâ etiam violatâ, poteſt ille, ità ludente atque aberrante Naturâ, ſuperſtes, ipſiſmet perſpicaciſſimis, inquiſitoris in ludibrium, illudere. Ad nativi caloris ἔκλαμψιν, ut ad orientem ſolem, flos ille illibatus ſe ſe interdum explicat, virginíque tàm creſcit uterus quàm gravidæ mulieri, perit utrique color, menſes hærent, lacteſcunt mammæ, oculi decipiunt, voce marem toroſâ cervice mentitur virago, ipſa quoque emeritis puerperij ſtipendiis canum eugium fideliter repræſentabit tùnc infidelis matrona, veráque & pura virginitas in cauſariis, gravis uteri ſuſpicionem præ ſe feret, veneris quippe inexpertæ vacuus ille, totus in orgaſmi intemperiis, validiùs ſubſultat quàm plenâ nave fœtûs ἀκαθίζοντος fame percitus. At ſolis gravidis uterus probè moratus quàm exactiſſimè occluditur, iis tamen, ſed momento tantùm, adaperiri credas quas ſuperfœtandi impatientiâ denuò æſtuantes inſana urit libido. Calculum ergò ſi benè ponas, indicia & ſigna invicem conferes & compones, non divides ad ſolidam fidem τεκμάρσεως, in explorandâ virgine quàm fœtâ graviùs aberrantis: illius nempè ut ferè Natura ſolet indulgere peccatis ac profligato parcere pudori, ſic & dùm tota allaborat hominis rudimentis, hanc ſeriò increpat neſcientem, neu tenerum opus, errore vitæ, imprudens ἔκρυσις, vel crudum partum improviſa atque inexpectata abortio corrumpat: etſi alioqui habere ſe utero maturiùs atque exquiſitiùs ſentiant, puræ, graciles, ἐπίφλεβοι, nec non integri ſanguinis, ſeriùs verò & obſcuriùs, φλεγματώδεις, ὑδαταίνουσαι, ἀφλεβοι, habitiores, rudiores ætatis tyrocinio, indè illæ ſtato condictóque die ſe parituras ſciunt, his obrepit partitudo, dieſque diffinditur.

Sunt ergò minùs certa virginitatis quàm conceptûs ſigna.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Franciſcus de la Chambre, Conſil. & Med. Reg. ord.
M. Alanus Lamy.
M. Claudius Quartier.
M. Franciſcus Landrieu.
M. Antonius de Sarte.
M. Daniel Arbinet.
M. Philippus Harduynus de Saint Iacques.
M. Helias Beda des Fourgerais.
M. Claudius Quiquebeuf.

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS GVERIN, Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LXVI.